Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1013
Quelle:
Copyright:

clarat ſibi lu — — — neque, niſi praecipuos cuiusvis Menſis dies feſtos continet. Nihil in *Auguſto* de *Machabaeis*, ſed:

Auguſtus ſixtum octauis tenet idibus almum.

In *Septembri* melius noſter: *Quis meruit naſci* (idibus) quam *Acherius: Qua meruit* &c. In *Novembri* melius: *laude decorus*, quam: *laude decoris*. Univerſim in XXIII. quos *Codex* exhibet, *verſibus* praeter Servatorem ejusque matrem non niſi *Petrus et Paulus, Xyſtus, Laurentius, Bartholomaeus, Johannes Bapt. Michael, Simon et Judas, Omnes SS. Martinus, Andreas, Thomas, Stephanus, Johannes Apoſt. Innocentes* et *Silveſter* memorantur. Unde ſuſpicari quis poſſet, *Martyrologium* iſtud *Beda* antiquius cum ab ipſo, tum ab aliis ſucceſſu temporis auctum fuiſſe.

A verſibus his ſtatim incipiunt ſuperſtitioſae quaedam adjurandi *Formulae*, v. g. *Ad Vermes occidendos*, *Contra Sagittam Diaboli*, *Ad Pullos de nido* &c. quibus quaedam etiam *Francotheotiſca* immixta ſunt multum jam adtrita et fugientia. Inter alia *Apibus* ſic praecipitur: *Vos eſtis ancille domini. Uos faciatis opera domini. Adiuro uos per nomen domini ne fugiatis a filijs hominum.*

CCLXXVIII. VII. H. 21

699 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 134. 4. a diverſis Librariis exaratus, et olim *Monaſterij ſancti Mathie apoſtoli extra muros treuerenſes* Sequentia nunc continet: I. *Fl. Alcuini Libros III. de Trinitate*, et, ut addit Noſter, *de Incarnatione Chriſti*, praevia ad *Carolum* M. Epiſtola, prout extant edit. *Ratisb.* 1777. T. I. *Vol.* II. p. 703. Ad quam Editionem tamen non videtur adhibitus *Codex* praeſens, qui in praemiſſi Hexaſtichi v. 4. *ornet* pro *ſalvet*, et C. 1. pro *pervenire volentibus* legit *feſtinare volentibus* &c. Ad calcem omiſſa *Invocatione* Trinitatis ſtatim *Sequitur Credo.*

II. *fol.* 33. p. 2. *Incipit epiſtola domini Alcwini ad fredegiſum ſuum diſcipulum.* Hujus initio absque dubio cum Noſtro legendum: *quibus fortaſſe ab aliis veſtre aures ſapientie inquietari putamus.* Sequuntur *Quaeſtiones XXVIII. de Trinitate*, ut in Edit. *ſupracit.* p. 739.

III. *fol.* 36. p. 2. adſcriptus eſt *Hymnus*, quo myſticus XII. Gemmarum Apocalypticarum Significatus exponitur. Ejus initium:

Ciues celeſtis Patrie
Regi regum concinite
Qui eſt ſupremus opifex
Ciuitatis uranice.